

THOMAS CRNIĆ (NIGRO)
(1522-1523)

Beatisime p' post oscula et pulueres pedu' beatoru' ac humile' comedacione' et salutem
in omnini salvatori. Du' venetas me' contulissen' ch'sij per beatitudinem ma' huncus conservare.
et nuc' prorsus peccatis tris perennis ac periclitantis causa eiusdem. a fauibus erci crisi
di p'secu'ar'or'. Letans sum in his que' dicta sunt min' igno' omnibus p'son' n'c'culu'
et n'mm'el'entia'. Tuam uidelicet ut p'ser'at' sanctitate et ad r'ip'ur'um Hepotem
fui' Cardinal' legato alatere' cu' pecunia' de'linqu'it' ad cond'ucenda et m'lia ho
minu'. Et no' p'su'm', cl'sion' p'reparasse' et i'ndies ac horas p'reparato'. ionra immin'et
ks impeli' et m'mm'orabile' exercitus terra maris' immaniu' Turca' p'reparato' ta' et
in a'ctione' confusus ad deu'ormida' et prorsus abolerida' rem publicam christi'ma' (ut ipi')
arc'ol'm'nt et firm'iter tenet'. Et p'recer Omen in ipsi' Conuictu'ri'. quibus p'son'ibus
ut fons q' p'eu' tu' ubi'p'ru'us offerre' s' ne' m' ha'c' causa' religio'ne' sententia' mea' quo
ue'is min' ut marini' iniquu' c'ca' m'ors u'oni'at': u'el' s' tuc' su'is o'ribus' v'ctoria' le'm'
C'ui' m'sonib' ex p'icula' m'litare' ro'a': et conscientia' m'it' at' u'it' p'resencia' p'ante' et
audacta' u'ig'et'. quare' tu' s' m'itor'ia' u'ij et abu'j op'ula' mo' quamula' cu'j' est et
in Ungaria' et p'idor' min' to'ies explorato' nomine' publico' et ubiq' to'orum'
et temporu': p'ofectim in ex'altacione' mariti'mu' et nauali' p'relio': ad exc'it'm'nes po
pulos' christi'm'os ad u'ordicanda' capesc'cordia' rem publicam' christi'ma': et h'ostes ui
ni'fer' Cruci' del'ocido' et exterminatio'los'. Dej' optimi' marini' et vien'j' sui' au'spi
cijs'. Et felix fru'tu'q' sit eidon et o'ribus' fuis'. qui' dui' felix' bene' ualeat' in
utraq' homine' et tandem plena annis uita' p'son'is ex'ora'. Et t'orenu' m' sole'm
n'c'culo' fui' f'onnus' bap'tis' m'lio' et xxii

Denuo et. non et capellus Thomas
Nigro alias epus scanden et Tragu
n. c. indigen.

117

**Epistula autographa Thomae Crnić ad Clementem VII, pont. maximum,
data 24 VI 1532**

(AV, Lettere di Principi 7 f. 117r)

N. 1

**Thomas Crnić
canonicis ecclesiae Spalatensis**

Cracoviae, 21 XII 1522.

Notum facit se ipsis scripsisse Praga et Vratislavia, ac ea ipsa die venisse Cracoviam, ubi splendide exceptus esset a regina Bona et magistratu Cracoviensi. Sperat se intra Ianuarium et Februarium omnia sibi commissa in Polonia et in Hungaria exsecuturum esse et mense Martio litus maris Adriatici assecuturum. Curae ipsorum commendat suam matrem, eius olim servam [Angelinam, necnon pauperes illius loci. Salutat aliquas alias personas.

Or.: Gomidica (in Croatia), Archivum privatum Ioannis Carev (editor Katić scribit: "ove podatke našao sam kod gosp. Ivana Careva u Gomidići, koji mi ih je spremno dao na uvid").

-Ed.: Katić, p. 232-233. Ibidem in p. 233 copia inscriptionis epistulae: "Rev. dis presbiteris Christophoro archipresbitero, Nicolao primicerio et Rugerio Caputgrossu, Canonicis Spalatensisibus, amicis suis carissimis. Spalati".

Per consolatione vostra da ogni loco dove havemo posuto vi aviamo dato aviso del felice eser nostro et in tutto prospero, Dei gratia; ultimati da Praga, cità regal de Boemia, et da inclyta cità Vratislavia, capo del ducato de Sclesia, dandovi intender cum quanto honore, auctorità et reputacione, Dei gratia, per tutto siamo sta[ti] receputi, trattati, expediti et accompagnati, cum cari et cavai per pompa et segurtà nostra¹.

Tandem ogidì^{a)}, in XX giorni da Praga, siemo giunti a Cracovia, capo regal cità de regno de Polonia, receputi da^{b)} magistrato (non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam). Dove, non atrovando la Ser.ma magestà regia, che si trova in Lituania, et se aspetta per feste de Epifania², dala ill.ma regina^{c)3} et tuta inclita republica Cracoviense semo trattati da veri signori omni genere officiorum. Et speremo per tuto zenaro essere de qui expediti a [233] laude de Dio et cum omnimoda satisfactione et contento della Santità del nostro

¹ Epistulae hae desiderantur. De hac missione Thome Crnić eiusque circumstantiis ac effectibus plura dixi in articulo separatis edito (cfr. Wojtyska TC).

² De itinere Lithuanus regis Sigismundi eiusque reditu Cracoviam, v. supra, Ferreri N. 55, notam 451.

³Bona.

Signore et non manco honore et utile nostro. Ma perché ex iniuncto dovemo tornar dal Ser.mo re de Ungaria⁴ per referir etc., credemo etiam per tuto mese febrero expedirse dala sua magestà, con, dante Domino, per tuto marzo vegnir ala marina. Credemo cascadun vui haveria pagato tuto zo che ha al mundo^{d)} eser stato a cusi lontan viazo et haver visto quel che pochi hano posuto veder. Ma porco pegro non manca mai b[on] pero. Reliqua in adventu nostro, Deo dante, istuc. Et letabitur cor nostrum⁵.

In questo mezo, more solito, quanto posemo vi racomandemo et governo dele cose nostre et reliqua, praeſertim dela nostra dulcissima genitrice, non lasandole mancar cosa alcuna, usque ad delicias in vita et, acadendo, in morte; sforzandosi arciprete⁶ render tal rason dela vilificacion sua che posa intender de nui quel evangelico: Euge, serve bone fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam⁷. Et perché intendemo eser grande penuria del viver et caetera, se cusi è, vi racomandemo la povertà ad porrigendas manus adiutrices pauperibus et elimosinas; et co[metemo] a spetabile pre[te] Ruziero, nostro zafaro et repositario⁸, che insieme con vui dui, in alimonias pauperum mendicantium, o in denaro o in pane, che sarà meglio, spenda degli nostri denari ducati X, che serano ben spesi, et metà al conto nostro. Pariter a Gelina⁹, che adeso se vedrà la sua servitù verso la m[adona] madre mia, et e converso, suplendo vui tuti li desideri etc. Recomando a quel m[agnifico] conte le cose nostre et reliqua, come le cose dela nostra Ill.ma Signoria sono recomandate de qui. Et volesse Dio che sp[etabil] Piero et sp[etabil] Canceler fosino venuti a questo viazo per conto lor et nostro.

A tuti nostri amici et parenti, Tomasina abadesa, madona Mari[a], Domicio et altri, consalutat[iones] per parte nostra. Cum quibus, domini, felices bene valeatis, nostri memores in vestris orationibus. Ex Cracovia, a dì 21 decembris^{e)} 1522.

Thomas Nigro epus Scardonensis
et nuncius apostolicus

a) *Katić legit:* oli [?] di.

b) *Katić legit:* de

c) *Katić legit:* regia

d) *Katić habet:* mudo

e) *Katić legit:* decembrio

⁴ Ludovicus II Jagellonides.

⁵ Ps. 32, 21.

⁶ Christophorus, unus ex destinatariis eiusdem epistulae.

⁷ Math. 25, 21-23.

⁸ Rugerius Caputgrossio, item unus ex destinatariis epistulae.

⁹ Verisimiliter nomen abbreviatum "Angelinae".

N. 2.

**Responsum primum
nomine Sigismundi I, regis Poloniae
Thomae Crnić datum**

Cracoviae, [3-6 I 1523].

Gratias agit pro benedictione a summo pontifice sibi allata. Audire ipsum promittit, cum ex itineris lassitudine paulisper requieverit.

Min. (manu A. Krzycki?): Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 5, f. 51r (n. 453). In margine manu ipsius Górska: "Inicio 1523"; in folio separato manu eiusdem Górska: "Responsum a Sigismundo Primo rege Poloniae datum Rev.do Thome Nigro, Epo Scardonensi, Nuntio Apostolico", et in dorso: "Ad annum 1523 pertinet. 1522, 9 Decembris Rex Vilna exivit ad Poloniā. II Ianuarii 1523 Rex venit Cracoviam".

Cop. coaeva: Warszawa, AGAD, Sucha 39/53 f. 257r-258r (datatio: "Cracoviae, Ianuarii 1524").

Nuntio Pontificis.

Sacra Maiestas Regia, pro sua observantia et devotione erga Sedem Apostolicam, alaci et gratissimo animo suscipit hanc benedictionem Ss.mi Domini Nostri et quas maiores potest illius Sanctitati pro tanto in se favore et affectu paterno gratias agit, et cupit vicissim, ut illius Sanctitas pro singulari Maiestatis suae consolatione et commodo reipublicae christianaee, cui illam tantopere affectam videt, et longa optimaque valetudine et felicissimis successibus semper fruatur. Personam enim V.rae Dominationis libenter videt Maiestas sua Ser.ma, utpote quae et per se^{a)} accepta est, et litteris non nullorum Rev.morum D.norum Cardinalium et aliorum Maiestati suae non vulgariter commendata. Ad ea vero, quae nomine Ss.mi Domini Nostri^{a)} V.ra Dominatio [...]^{b)} et opus adeo referri et tractare volet, Maiestas sua Ser.ma alio tempore^{b)}, cum paulisper ex itineraria lassitudine se refecerit, responde-re et absolvere illam dignabitur.

^{a)} Sequitur verbum expunctum illegibile.

^{b)} Aliquot verba penitus illegibilia.

^{c)} Sequitur expunctum: respondere

N. 3.

**Responsum secundum
nomine regis Sigismundi I
Thomae Crnić datum**

[Cracoviae, circa 10 I 1523].

Rex commendat operam summi pontificis in conciliandis principibus christianis praestitam, adeo ut omnes simul adversus infideles prodire possint, asserit tamen se ipsum magis auxiliis indigere quam illa praestare posse, cum sit bellis cum Moscovitis et Tartaris occupatus; ideo etiam adhortationem, ut cum Ludovico, rege Hungariae et Bohemiae, conveniat, posteriore tempore exsequendam promittit. Interea dolet, quod pontifex cunctatur eum Plocensem, a se nominatum, confirmare, promovendo in eum episcopatum fratrem magistri Cruciferorum, sui hostis.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 5 f. 52r-53r (n. 454). Correctiones manus Stanislai Górska necnon summarium, ab ipso in margine facta.

- **Cop.:** Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 p. 297-300.

Ed.: Działyński AT V p. 221-222 (ex codice olim Rogalinensi).

**Responsum a Sigismundo Rege Poloniae datum Thomae Nigro,
Epo Scardonensi, ab Adriano Sexto^{a)} pontifice misso**

Commendare in primis Maiestatem suam regiam impense hoc studium et hanc curam Ss.mi Domini Nostri, quam sua Sanctitas mox inicio [sic] pontificatus sui rebus omnibus anteverterit de pacandis christianis principibus et conatu Thurci [sic] reprimendo. Nam Maiestatem suam Ser.mam, quae assidue hoc saxum [sic] voluit, et praeter vim Thurcicam, etiam Thartarorum et aliorum infidelium immensam molem absque ullius auxilio suis humeris sustinet, et hanc omnem oram^{b)} suis dominiis et armis continet et reprimet, unde olim Goti, unde^{c)} Vandali, unde Hunni Alanique et alia summa orbis christiani pernicies emanavit. Nihil libentius visuram esse, quam hoc aliquando faustissimum tempus dari, quo principes christiani unanimi consenserunt et unitis viribus, tandem ad vindicandam reipublicae christianaee salutem incumberent, pro qua^{d)} Maiestatem suam, id quod hactenus fecit, paratam esse non modo vires et facultates suas, sed etiam sanguinem proprium, dummodo illi proposit, effundere.

Verum ad eum animum, ad hoc studium Maiestatis suae tantum esse non adeo Thurci, quam Scytarum et Scismaticorum vim et immensitatem¹⁰,

¹⁰ Id est Tartarorum et Moscovitarum.

ut Maiestas sua magis in hac re suppetiis, quam admonitionibus egeat. Et proinde rogare atque obtestari Maiestatem suam Ss.mum Dominum Nostrum, ut sua Sanctitas, reductis in concordiam principibus christianis, omnem curam adhibeat de ferendis quam primum suppetiis, tam sibi quam Ser.mo nepoti suo, d.no Ludovico, Hungariae et Bohemiae etc. regi. Nam, quod hortatus est ipse D.nus Legatus Maiestatem suam^{e)} ad convenientum simul cum ipso Ser.mo nepote suo, nihil aliud magis in votis habuisse, quam Maiestatem suam id efficere, cum utriusque Maiestatis et tocius reipublicae christiana negocia id exposcere videantur. Verum Maiestatem suam propter multas suas domesticas occupationes et bella, id hactenus nullo pacto praestare potuisse, [52v] tamen ea causa redigisse Maiestatem suam ducem Moscoviae ad quinquennales inducias ineundas, intra quas res ad concordiam et pacem perpetuam perduci poterit. Curaturam etiam Maiestatem suam, ut cum aliis hostibus suis pacem vel inducias facere et domesticas res quam celerius componere [queat], ut eo commodius possit cum ipso Ser.mo nepote suo convenire. De qua re demum inter se loco et tempore congruo ipsos Sermos reges transacturos esse, daturamque operam Maiestatem suam, ut et bonum ordinem, quantum fieri poterit, cum ipso Ser.mo nepote suo et regnis suis de bello gerendo contra infideles statuat et illi nulla in parte desit, prout hactenus non defuit, nec in posterum, quantum vires et facultates sufficerint, defuturam esse.

Verum inter has curas et perpetuum studium eius Maiestatis de commodando rei christiana plurimum turbavisse et ab omni spe bona deiecssisse eius Maiestatem id, quod videat preces suas, cum in aliis rebus satis levibus tum de confirmando Episcopo Plocensi a se designato¹¹, adeo per Ss.mum Dominum Nostrum obaudiri. Quod tanto maiori admiratione et molestia ferre Maiestatem suam, quo dispositio illius Sanctitatis de ipso episcopatu sit ex nullo commodo Sedis Apostolicae, cedat vero in maximum rei publicae regni sui detrimentum. Quod si maxime ea ipsa disposicio esset ex usu illius Sanctitatis, si iura Romanae Curiae, non episcopos, quod plerique in dubium vocant, non oratores, qui ubique gentium exempti sunt, immunes habent [sic], quominus quicquid illis offerat degluciant. Non expostulasse tamen id tanta eius Maiestatis erga rem christianam merita, tantam in Sedem Apostolicam observantiam, qua Maiestas sua, nihil tale suspicans, tam insignem oratorem apud illam habuit, ut Ss.mus Dominus Noster contra voluntatem et iura eius Maiestatis, et in perturbationem regni et dominiorum suorum ingerere conaretur in consilium, in viscera regni Maiestatis suae regiae, non externum solum (quod apud omnes nationes est intolerabile), sed etiam fratrem maioris hostis, quam sit ullus ethnicus ac infidelis¹². Iam enim Maiestatem suam

¹¹ Raphael Leszczyński († 1527), epus Premisiensis ab a. 1521, quem rex, audita morte Erasmi Ciołek (Romae 9 Septembris 1522 defuncti), nominavit ipsius successorem et petit a pontifice confirmari, epistula Vilnae 28 X 1522 data (reg. Kórnik, BPAN, ms. 228 p. 192-193).

¹² Hadrianus VI, capta occasione quod Ciołek "in Curia Romana" mortuus esset, promovit, vi reservationis pontificiae, 26 IX 1522, in eius locum Ioannem Albertum Hohenzollern, fratrem Alberti, magni

declarasse abunde litteris suis illius Sanctitati omnem rei et hostilitatis seriem, quae inter se et Magistrum Prussiae¹³ intercedit; declarasse quam ille non modo non praebeat ullum indicium, ut velit se Maiestati suae reconciliare ac aequam pacem complecti, sed etiam omnia hostilia in illam molitur¹⁴.

[53r] Ad quas quidem litteras licet illius Sanctitas nunc satis benigne responderit¹⁵, hactenus tamen citra ullam necessitatem haerere negocium. Nam si eius Sanctitas ita, ut scribit, gratificari vellet Maiestati suae, facile id Sanctitatem suam citra ambages et iuris sui iacturam facere posse, si illud etiam ad se pertinens, gratificandi causa, Maiestati suae concederet, quandoquidem multo maiora regibus et aliis hominibus praeter iuris Romani dispositionem conceduntur. Verum eorsum omnia tendere, ut negocium dumtaxat producatur, et Maiestas sua maiori molestia, ac servi et consiliarii sui, quos ad eos episcopatus designavit¹⁶, maioribus impensis et damnis in bonis suis afficiantur, quasi non esset in hoc regno, continuis bellis exposito, ad quod impensas faciant servi et subditi Maiestatis suae, quam ad eiusmodi negotia cum mora et difficultate expedienda, in quibus saltem singularis gratia huic regno exhiberi deberet. Et proinde supplicare Maiestatem suam illius Sanctitati omni studio et veneratione, qua potest, dignaretur illius Sanctitas eo favore et beneficentia complecti Maiestatem suam, qua illius praedecessores solebant; dignaretur preces et postulata Maiestatis suae adeo non obaudire, eosque episcopos, a se designatos, citra ulteriore moram ac difficultatem confirmare, quod vicissim eius Maiestas omni studio et observantia sua erga illius Sanctitatem et Sanctam Sedem Apostolicam sedulo demereret curaret.

Reliquum esse Maiestatem suam Ser.mam commendare se, regnum et dominia, gentes et omnes res ac negotia sua in gratiam et favorem ipsius Ss.mi Domini Nostri. Qui ut in ea Sancta Sede quam diutissime praesit, resque christianas felicissimis successibus moderetur, id Maiestatem suam ex corde optare et precari.

a) In min.: Primo.

b) *Adscriptum supra verbum expunctum illegibile.*

c) *Supra expunctum:* Vanda

d) *Suprascriptum.*

e) *Sequitur expunctum:* ducem Moscoviae

magistri ordinis Theutonicorum (BV, Barb.Lat. 2878 f. 167r; or. breve, quo papa hanc promotionem regi notam facit, 29 IX 1522 datum, invenitur Varsaviae, BN, BOZ, Theca Górska 4 f. 85r-v), qui Romae degens, iam a Leone X ad hunc episcopatum promoveri tentabat (cfr. Ferreri, N. 9). De hac controversia v. L. Kolankowski, *Kandyatura Jana Albrechta Hohenzollerna na biskupstwo płockie, 1522-1523* [De Joanne Alberto H. ad episcopatum Plocensem promovendo, 1522-1523], Lwów 1926.

¹³ Albertus Hohenzollern.

¹⁴ Epistula haec non invenitur.

¹⁵ Per nuntium scilicet, nam tempus nimis breve intercedere videtur inter epistulae regiae expeditionem et responsi pontifici per postam adventum.

¹⁶ Per translationem Raphaelis Leszczyński ad episcopatum Plocensem vacavit Premisiensis, ad quem promotus est a rege etiam eius secretarius, Andreas Krzycki (1482-1537), poeta Latinus, postea epus Plocensis (ab a. 1527) et aepus Gnesnensis (ab a. 1535).

N. 4.

Hadrianus VI, pontifex maximus
Thomae Crnić

Romae, 24 I 1523.

Notum facit se eius litteras ex via scriptas accepisse; adhortatur ad difficultates aequo animo ferendas; mittit breve ad regem, quo, respondendo ad eius indignationem super provisione de episcopatu Plocensi facta, ipsi gratificari studet; petitque, ut intercedat ne rex doctrinam Lutheranam in suis dominiis divulgare sinat eumque adhortetur, ut tandem pax inter ipsum et Albertum, magnum magistrum Cruciferorum, concludatur. Mandat, ut convenientibus nobilitatis proxime futuris intersit, omnia sibi postea relaturus.

Cop. coaeva: Kórnik, BPAN, ms. 228 p. 96-101 (ms. Petri Tomicki).

- **Ed.:** Działyński AT V p. 222-224 (cum mendis).

Reg.: Warszawa, AGAD, Metr.Kor. 37 f. 371r-373r (de hac registratione v. Wojtyska TC, p. 146).

Adrianus Papa Sextus

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Plures literas Fraternitatis tuae^{a)} post eius a nobis ex provincia^{b)} Tarraconensi discessum¹⁷ pluribus ex locis accepimus, maximos tuos varios terrae ac maris discurrendo labores et mille discrimina rerum in ista aetate pro Christi fide et publica utilitate suscepta, et insuper quaecunque tum ipse apud reges, principes et populos egeras, tum scitu digna cognoveras, plene et dilucide exprimentes, quae nobis sane quam gratissimae fuerunt magnamque voluptatem, etiamsi saepe tristia ac deflenda nuntiarunt, nobis praebuerunt; item te, vigore fidei ac zeli domus Dei fervore, corporis [97] et aetatis lassitudinem superasse ac nullis laboribus aut aerumnis a prosequutione sanctae intentionis tuae nostraque commissionis deterri potuisse indicarunt¹⁸.

Unde Deo, a quo omnis virtus et omnis sufficientia procedit, immortales agimus gratias eiusque maiestatem et potentiam laudamus, qui facit mira-

¹⁷ Crnić obtinuit missionem suam ab Hadriano VI mense Iunio 1522, statim post eius electionem ad summum pontificatum, dum pontifex adhuc Hispaniae commorabatur; medio mense Iulio iam erat Venetiis in via versus Hungariam, v. Sanudo XXXI, col. 411.

¹⁸ Desiderantur.

bilia magna solus¹⁹ et infirma mundi eligit, ut fortia quaeque confundat²⁰, eumque devote precamur, ut ipse tibi sermonibusque tuis in conspectu regum, principum ac populorum gratiam et efficaciam dare dignetur, ut populos in unum, et reges ac principes, ut serviant Domino²¹, inter se sincera ac firma pace convenire facere valeas, ut omnes unanimiter superbiam crucis Christi inimicorum, tam eorum qui christianum nomen execrantur, quam subdolarum vulpium, nomen quidem ipsum praeseferentium, sed veritatem eius prorsus abnegantium, dominicamque vineam sub specie pietatis crudeliter demollientium²², confundere, humiliare, prosternere, in nihilum redigere cum Dei adiutorio valeamus. Ad quae procuranda licet te sponte tua ac per te ipsum satis incitatum esse [98] sciamus, pro ardore tamen desiderii nostri, quo divini honoris exaltationem et populi christiani reformationem, aedificationem, quietem tot iam annos videre affectavimus, omittere non possumus, quin etiam calcar adhortationis nostrae sponte currenti addamus. Nos etiam ex parte nostra nunquam cessamus instare, hortari, rogare eos, penes quos praecipue pacis ac belli arbitrium est, ut pace atque concordia inter se composita, arma, quae hucusque in mutuam perniciem gesserunt et quibus immanissimo Turcarum tyranno animum, vires et opportunitatem nos invadendi et adeo graviter laedendi praebuerunt, in eundem tyrannum aliquando convertant. Tantumque diligentia nostra effecimus, ut multum in Domino speremus, eos propediem in aliquot saltem annorum inducias consensuros. Quibus confectis facile, uti confidimus, ad firmam ac^c stabilem inter omnes christianos pacem perveniri poterit.

Caeterum quoniam^d novissimis litteris suis ex Cracovia ad nos datis significas char. mum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae regem, vehementer indignatum ob nostram ad [99] Plocensem ecclesiam factam provisionem, praetendentem de illa, etiamsi in Curia vacante, nonnisi ad suam presentationem disponi potuisse, prout etiam sua Maiestas litteris suis prolixis ac rigidioribus nobis plane testatus est²³. Dolemus sane nostram nos spem fefellisse remque optima et sincerissima a nobis intentione factam in contrariam partem acceptam fuisse. Qua de re rescribimus eius Maiestati etiam prolixe et causas, quae nos ad eam provisionem induxerunt, et finalem deliberationem nostram ad rei in omnibus, quantum fas erit, gratificandum expositam plane explicantes, prout ex ipsarum literarum exemplo, praesentibus alligato, ad longum videbis²⁴. Tuum igitur erit omnibus modis curare, ut regium animum mera veritate explicanda places summam-

¹⁹ Ps. 71, 18.

²⁰ 1 Cor. 1, 27.

²¹ Ps. 101, 23.

²² Cant. 2, 15.

²³ Ambae epistulae perierunt, de spiritu tamen, quo imbutae erant, coniici potest ex responso regis nuntio dato (cfr. supra, N. 3).

²⁴ Etiam haec epistula desideratur. Scimus tamen pontificem cedisse tandem voluntati regis et Raphaelem Leszczyński ad episcopatum Plocensem promovisse 8 VI 1523 (v. Gulik-Eubel HC III, p. 276).

que nostram erga ipsum charitatem et intentionis in omnibus actionibus nostris sinceritatem illi testatam ac persuasam facias omniaque ei de nobis policeare, quae optimus et charissimus filius ab indulgentissimo patre expectare queat, eius nihilominus Maiestatem hortando, velit etiam ipsa eam, quam aequum est quamque semper solet, [100] honoris nostri et huius Sanctae Sedis rationem habere. Et imprimis det operam, ne populi subditique sui Lutheranae haeresis fermento corrumphi et sub specie evangelicae libertatis in diabolicam servitutem et animarum suarum perditionem pertrahi valeant. In quo non minorem sibi gloriam comparare, nec minus gratum Deo obsequium praestare poterit, quam apertos religionis nostraes hostes Turcas aliosque infideles debellando; ut taceamus, quod pestis huius principiis obviando, regna sua a maximo incendio atque divisione, quam sicuti in Germania videmus, pessima Lutheranorum secta imprimis inducit, praeservabit. Et alia, quae tibi ad efficacem huiusce rei persuasionem conducibilia videbuntur, illi pro tua prudentia adducas.

Praeterea eundem ad pacem cum dilecto filio, nobili viro magno Magistro Prussiae^{d)}, ineundam pro viribus adhortaberis, ante oculos Maiestatis suae claris rationibus ponendo maxima discrimina, quae reipublicae christianaee ex mutuis ipsius et dicti magistri ipsorumque bellicosissimorum istorum populorum bellis hoc [101] tempore imminent²⁵. Et quum, uti scribis, plures istic conventus celebrandi sint in eum finem, ut publicis malis remedia statuantur, et pro certo tenemus tuam in illis praesentiam perutillem esse posse²⁶, licet celerem tuum ad nos redditum alioqui plurimum desideraremus, ut de omnibus ad plenum per te informari possemus, tamen publicum bonum privatis affectibus anteponentes, cupimus te istic tantisper manere, donec videoas, quorsum comitia ista evasura sint, ut et de his certiores nos facere possis. Nos interea tui et senectutis laborumque tuorum haud futuri sumus immemores.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII Ianuarii M°D°XXIII, pontificatus nostri anno primo.

a) *Suprascriptum.*

b) *Sequitur expunctum:* traco

c) *Sequitur:* in

d) *Suprascriptum pro expuncto:* quod

e) *Sequuntur 2 verba illegibilia.*

²⁵ Iam 9 IX 1522 pontifex scribebat regi, ut mitteret oratores suos Norimbergam, ubi cum oratoibus regis Romanorum Ferdinandi Habsburg, regis Bohemiae et Hungariae Ludovici II Jagellonidis necnon principum electorum Germaniae de pace cum Alberto ineunda tractarent (or. breve, Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 4 f. 77r-v).

²⁶ Agitur evidenter de conventibus particularibus nobilitatis per singulos palatinatus celebrandis, in quibus oratores principum exterorum non admittebantur.

N. 5.

**Sigismundus I, rex Poloniae
Hadriano VI, pontifici maximo**

Cracoviae, 3 III 1523.

Gratias ei agit, quod Thomam Nigro (Crnić), nuntium omni genere virtutum praeditum, ad eum miserit, qui tam negotium expeditionis adversus infideles suscipienda ac ipsius cum magno magistro Alberto conciliationis, quam doctrinae Lutheranae debellandae optime promoverit. Illum et quae in commissis habet commendat.

Or.: olim in AV, AA I-XVIII n. 1420.

Cop. autenticata: AV, AA I-XVIII n. 1420 (manu Callisti Marini, qui in fine addit: "Descriptum et recognitum ex originali epistula membranea Archivi Arcis S. Angeli, Arm. IV, Caps. 2, Nr 11 [hodie AV, AA I-XVIII n. 1420, ubi tamen originale hoc desideratur], 3 Idus Decembris 1779, Callistus Marinius, eiusdem Archivi Custos").

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 29 f. 186r-v (n. 3802). Sine datatione. Subtus eadem manu: "R[egistra]ta".

Ed.: Działyński AT VI 224-225 (ex codice olim Rogalinensi, omissa inscriptione et conclusione). Ibidem (p. 225) similis epistula regis ad collegium cardinalium (sine dato).

Sanctissime ac beatissime in Christo Pater et Domine, D.ne clementissime. Post humilem mei regnique et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum.

In summis huius turbulenti temporis angustiis et rei christianaे discriminibus magno mihi ^(a)solatio fuit^{-a)} Legatus Sanctitatis V.rae, Rev.dus in Christo pater d.nus Thomas Nigro, Epus Scardonensis, declarata mihi cum singulari sapientia et vitae integritate, tum ante omnia studio et cura V.rae Sanctitatis de vindicanda ab impendi ruina Republica christiana. Propterea ipse sua vegeta ac veneranda senectute, suo probatissimae vitae exemplo et moribus, suo prudenti consilio et rara facundia ac denique sua de rebus publicis summa et sincera solitudine non solum ^(b)ea, quae ad ^{b)} reprimendum conatum infidelium et meam cum Magistro Prussiae concordiam attinet, diligenter simul et cordate tractavit, sed etiam in extirpandis dogmatibus Lutheranis, quae undique magis in dies serpunt, valde profuit²⁷, tantumque me et regnicolas meos refecit, tantum delectavit, ut etiam me in

²⁷ Crnić is existimatur, qui *Edictum de libellis Lutheranis in Regnum non importandis, nec a quopiam adhibendis aut vendendis*, 7 III 1523 in comitiis generalibus Cracoviae editum, a rege obtinuit, cfr. Kolanowski SP, p. 341 et Wojtyska TC, p. 145.

maiorem erga Sanctitatem V.ram devotionem pertraxerit, quam nonnulla istic rerum mearum principia suadebant²⁸. Nam vel hinc facile coniici potest qualis esse is debeat, a quo tales nuntii delegentur, qui non quaerant quae sua sunt²⁹, sed quae ad gloriam Dei et publicam utilitatem [v] conductant. Atque utinam alias similes legati ab ista Sancta Sede ad externas regiones soliti essent mitti, non modica praesentium turbarum in re ecclesiastica occasio esset amputata.

Hominem igitur canicie venerabilem, vita incorruptum, prudentia conspicuum, eloquentia admirandum, moribus suavem, consuetudine iucundum ac omni denique virtute praeditum commendo ex corde V.rae Sanctitati. Et supplico illi, ut quae meo nomine, tam ad communem reipublicae christianaे salutem, quam etiam ad res meas privatas pertinentia retulerit, in his et plenam fidem illi adhibeat et se talem praebeat, qualem huius temporis christiani nominis durissima conditio et mea meique nepotis³⁰ erga istam Sanctam Sedem et V.ram Sanctitatem devotio et observantia exposcit, clementissime Pater. Deus optimus maximus servet V.ram Sanctitatem pro incremento rei christianaē et meo singulari desiderio diutissime sospitem et felicem conservet. Regnumque et dominia mea ac omnes res et negotia mea toto quo possum studio ac reverentia commendo. Datum Cracoviae, die tercia Marci, Anno Domini 1523, Regni mei decimo septimo.

Eiusdem Sanctitatis V.rae

^(c)observantissimus filius

Sigismundus Rex Poloniae manu propria^(c)

a-a) *Ita in min.; Marini legit: fuit usui, sed dubitat an recte (pergamena corrupta?).*

b-b) *Ita in min.; Marini legit (dubitans): ut quoad*

c-c) *Haec scripta erant, secundum Marini, manu ipsius regis.*

²⁸Cfr. supra, N. 3.

²⁹Phil. 2, 21.

³⁰Ludovicus II Iagellonides, rex Bohemiae et Hungariae.

